



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

66. Fer. 4 Væ, à quo exit cum donis suis Iesus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

tem non sic, &c. Exemploque doceat ad summam virtutem non potentiam, sed humilitate ascendi: ita & Apost. ait: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus.* 1. ad Corinth. 11.

Conf. 3. Non contendendum verbis: Quia ad nihil prodest, nisi ad subversionem audientium: Tollit charitatem: Turbat eutrapeliam, & contendere dedecet virum virtuti deditum: Et quia origo illius est carnalitas: *Cum autem Zelus & contentio sint inter vos, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* 1. Cor. 3. Itaque videndum nobis est, non quid carnales Discipuli gesserint, sed quid Christus iusserit, quid vobis fecerit, de quo Matth. 12. *Non contendet, neque clamabit.* Cavebo ne à mensa recedendo colloquijs noxijs Christo agoniam procurem.

MEDITATIO LXVI.

Feria 4. Dom. Sexages.

Ve, à quo exit cum donis suis IESVS.

Aspiciam præcedentem Dominum, torrentem non voluptatis, sed doloris transeuntem, nec rediturum in Urbem, unde abi-
verat, nisi vinctum. Petam agnoscere, quam ei malum sit, à quo exit Christus.

Conf. 1. Infelicissimum Iudæis egressum prædictum Matt. 23. *Ecce relinquetur vobis*

E 5 domus

IOB *Feria 4. Dom. Sexages.*

*domus vestra, Templum & Urbs deserta, quæ
revelatur ira DEI, iudicium æternum de celo,
super omnem impietatem hominum illorum,
qui veritatem Dei, in injustitia detinent.
Inspirationes cœlestes velut captivas intra se
supprimunt, nec agnoscere volunt. Hinc illa
minax: Ego vado, & queretis me, & non inven-
tis, & in peccato vestro moriemini* Joan. 8.

*Conf. 2. Felicissimum nobis Domini egres-
sum, & quidem cum Discipulis transtorren-
tem Cedron, seu Cedrorum, id est, obscuri-
tatum: Est enim is torrens inter Hierusalem,
& Montem Oliveti: Quas enim Christus non
pertransivit obscuritates noctis, tormento-
rum, mortis, & mentium obtenebratarum!
quia nullum est cor tam cæcum, nulla ætas
tam varia, nec status, aut conditio, quam
non pertransit inspirationibus suis, & visi-
tet Spiritus Domini. Joseph parvulus jam
habet somnia, Samuel duodennis visiones,
sexennis Tolentinas secreta Dei videt, omni
horâ vocantur operarij, nulli Deus deest, nisi
nos desimus Deo. Quia verò inspirationes
divinæ sunt operativæ: Nam Deus, & natura
nihil agunt frustra; ideo talpis negati oculi,
quia terram incolunt, lucis non indigunt: A-
quilis visus est acutus, quòd prædis vivant:
Sicutam gratiæ cooperari, ne cum Domino
auctoritas & iustitia, securitas & fortitudo,*

Feria 4. Dom. Sexages. 107

pax & solennitas, deliciae & gloria, pulchritudo, sanitas & abundantia exeant. Thren. 2.

Conf. 3. Verba D. Ambr. Lib. 3. Epist. 25. Ideo Christus exiit de civitate, ut vos exeuntes de hoc mundo supra mundum sitis: Ibat enim à mortalibus ad immortales. Duo sunt, quae nos supra mundum erigunt: Contemptus mundi, & amor Dei: utrumque rogabo à Domino. 1. Per amaritudinem, quam de torrente huius seculi hausit, ut & mihi seculum amare sciat. 2. Per amorem, quo eam amaritudinem hausit, ut obtineam amorem Dei, quo habito, gratiae Dei nunquam deero, dicente S. Mechtilde: Lib. 1. c. 5. Qui amorem Dei in se accipit, quicquid agit, Deo gratissimus erit.

MEDITATIO LXVII,

Feria 5. Dom. Sexages.

De Scandalo Apostolorum.

Aspiciam sibi praesidentes instar aviculæ implumis è nido in sublimè deferri, & in praecipitia immania provolvi. Petam agnoscere propriae confidentiae fragilitatem.

Conf. 1. Verba Domini: Tunc dixit illis Iesus: Omnes (Iudæa excepto, qui non erat ibi, nec passus est scandalum, sed fecit) vos, qui me tueri, aut sequi, vel saltem non fugere deberetis, scandalum patiemini in me, propter quod in me videbitis, in ista nocte tenebrarum,